



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia x. Coloss. I. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum &c. lxxvj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

SENTENTIA IX. Ephes. 1. Colofs. 1.

In quo habemus redemptionem per sanguinē eius, remissionem peccatorum, secundū diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.

PARACLESIS.

CAP. LXV. **Q**uid pretiosus offerri Deo potuit, pro condonandis hominum peccatis, quàm sanguis vngentis Filij Dei? Aut quid efficacius abluere valuisset vlcera peccatorum nostrorum, quàm eximius liquor iste, qui tam vbertim fluxit ex Christi corde? In eo Thesaurus inestimabilis diuine gratiæ latuit: quam non auarè, sed largiter nobis impartire voluit. Sanguis ergo Christi Thesaurus abundè sufficiens: & prorsus inexhaustibilis. Cum enim pro mille millibus hominum peccatis satisfecerit: adhuc equè vbertim sufficit pro aliis innumeris. Igitur agnosce inuis te viribus nullam salutis spem habere posse, sed ex meritis Iesu Christi: cuius opem si implores, veniam hand dubie consequeris. Quod alius Apostolus corroborat ex Ioële propheta dicente: Omnes qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et addit: Non est distinctio Iudæi & Graci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.

Rom. 10.
Eocl. 2.

SENTENTIA X. Colofs. 1.

Cum gaudio gratias agimus Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

PARA

PARACLESIS.

CAPVT

LXVI.

Ambros. in
Epist. ad
Colof.

Liberati de conditione tenebrarum, hoc est, eruti de inferno, in quo tenebamur a diabolo, tam ex proprio, quam ex Ade delicto, qui est pater omnium peccantium: translati sumus per fidem in Regnum caeleste filij Dei. Ut ostenderet nobis Deus, quo amore diligit nos: quando attollens nos de imo tartari, induxit in caelos cum vero filio suo. Iam enim omnes credentes qui fixa mente deuoti sunt, exentes de seculo, duce dextera Patris angelo, inducuntur in calum: quod ante denictam mortem concessum non erat.

SENTENTIA XI. Colofs. 2.

Et vos cum mortui essetis in delictis, conuiuificauit cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.

PARACLESIS.

CAPVT

LXVII.

Agust. lib. 13.
de Trinit.
cap. 12.

Eramus venundati sub peccato: habebatque diabolus aduersus nos chirographum, maledictione diuina Legis transgressoribus debitam, & sententiam aduersus primum hominem iustissime prolatam: in quo genus humanum vniuersaliter damnatum fuit: quia nemo mundus a sorde. Hoc chirographum, quod erat contrarium nobis, Christus sustulit de medio, affigens illud cruci. Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum erat, vnde nos principatus & potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgavit, aboleuit, extinxit. Hinc ad Ephesios idem Apostolus ait: Gratificauit nos in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum dimitas gratia eius, quae superabundauit in nobis.

Idem lib. 4.
cap. 13.

Ephes. 1.

S

CONSO-